

Prooemium.

que citatis autoritatibus instructi fuerint, nisi causas evidentes illicò adjecerint, nullam obtinebunt fidem, juxta Philosophorum illud in scientiis humanis : *Nihil est credendum.*

*Et Galeni
altercationibus.*

§. 8. Quo ipso & hoc impetrarunt veteres Mathematici, ut nullæ unquam de futilibus & probabilibus controversiæ seriò, præsertim (ut alibi sæpè fieri solet) cum calumniarum reciprocatione maximè detestandâ ventilarètur, sed amicabili saltem discursu, ad veritatè, si fieri possit, non victoriã obtinendam, vanum esse rati, in iis ubi nulla vel utilitas vel scientia latet, tantoperè exacerbari, sicut ubi nullæ vires sunt ad insaniam irasci; & turpe reputantes cum homines simus omnes, si quid humani forsan alicui accidat, inhumano more excipiendum ducere.

*Aristoteles
Mathematicus.*

§. 9. Hisce Mathematicorum vestigiis institit Aristoteles, Philosophus animò pariter & fortunã summus, quem Ducem meritò ad humanam sapientiam (non ejus Dictatorem) agnoscimus. Hic enim uti Mathematicum ex more seculi primò sibi comparavit notitiam; ita rejectis etiam plerumque λογωμαχίαις, eãdem methodo reliquam tùm latentem inquisivit, tùm inventam docuit veritatem. Et licet vulgo iisque, quos per ætatem ingeniive hebetudinem mysteria philosophica capere posse desperabat, dogmata sua καὶ δόξαν saltem & λογικῶς seu διαλεκτικῶς (ut ipse loquitur) sæpius explicuerit, multa que insuper in scriptis suis ἐξωπρακτικῶς, præsertim περὶ τῶν ἠθικῶν, & ex parte περὶ τῶν φυσικῶν, ἐνδόξως exarata, tradiderit; in his tamen omnibus plerumque statim ab initio, eo se modò processurum, rem que παχυλῶς saltem & soloci filo se tractaturum (majori sanè modestiã, quàm ejus dicta nonnullis creduntur sapientiã) ne quis decipiatur indicavit.

*Dogmata
quædam
λογικῶς*

*Plerumque ἀνω-
λυτικῶς
tradens*

§. 10. Discipulis autem γνησίους & ἐπιστημονικοῖς λόγοις κατὰ κολῆθρην δυναμένοις (uti loquitur Galenus de Platone) fideliter omnia, quorum certitudinem ipsi vel suo Marte vel ex Platonis scholâ veterumque Philosophorum lectione licuit